

Die Verschwörungen im kanonischen und weltlichen Recht des Mittelalters

FRANCK ROUMY
Universität Paris Panthéon-Assas

1. Conc. Chalcedonense (451), c. 18

Coniurationis (συνωμοσίας) et conspiracyonis (φρατρίας) crimen (ἔγκλημα) et ab exteris legibus est omnino prohibitum, multo magis hoc Dei ecclesiam ne fiat, amovere conveniet. Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes aut insidias ponentes episcopis aut conclericis, a gradu proprio arceantur.

2. IVO CARNOTENSIS, Decretum, XII, 85-88

85. [= Ps.-CALIXTUS, *Plurimorum* [J³ † 162 = JK † 86], c. 8 [HINSCHIUS, *Decretales*, p. 138] = C. 11, q. 1, c. 22]

De his qui contra episcopos suos conspiraverint. Ex epistola Calixti pape ad omnes Gallie episcopos

Conspiracyonum vero crimina vestris in partibus vigere audivimus, et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est. Cuius criminis astutia, non solum inter Christianos abominabilis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris lege prohibita. Et idcirco huius criminis reos, non solum ecclesiastice, sed etiam seculi dampnant leges, et non solum conspirantes, sed et consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum quicumque eorum in sacerdotali ordine sint constituti, aut existunt clerici, honore quo utuntur carere preceperunt; ceteros vero communione privari, et ab ecclesia extorres fieri iusserunt, et non solum facientes, sed eis consentientes.

86. [= Conc. Hohenaltheim [916], c. 24 [éd. E.-D. HEHL, MGH, Conc. 6/1, p. 31, l. 3-9] = C. 24, q. 3, c. 22]

De eadem re. Ex concilio Tungrensi, cap. 5

Quisquis per dolum mittit manum suam in christum Domini, episcopum videlicet, patrem et pastorem suum, quia sacrilegium grave committit, et qui ecclesiam Dei devastat et incendit, quia et hoc sacrilegium est, placuit sancte sinodo, ut in uno loco, id est in monasterio, peniteat omnibus diebus vite sue.

87. [= conc. Chalcedon. [451], c. 18, COGD, t. I, p. 146, l. 715-720] = C. 11, q. 1, c. 23]

De clericis vel monachis coniurantibus vel conspirantibus contra episcopum suum. Ex concilio Chalcedonensi, cap. 15

Si qui ergo clerici vel monachi reperti fuerint coniurantes, aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiiciantur.

88. [= conc. Chalcedon., c. 18 *ex collectione Prisca* [éd. E. SCHWARTZ, ACO, t. II/2/2, p. 38 (130), l. 8-10] = C. 11, q. 1, c. 24]

Igitur si clerici aut monachi inventi fuerint coniurati, aut per coniurationem calumniam machinantes episcopis vel clericis, proprium amittant gradum.

3. IVO CARNOTENSIS, Ep. 77 (éd. G. GIORDANENGO, <https://telma.irht.cnrs.fr/chartes/yves-de-chartres/notice-acte/21014>)

[...] turbulenta conjuratio factae communionis nihil praejudicant legibus ecclesiasticis. Pacta enim et constitutiones vel etiam iuramenta quae sunt contra leges canonicas auctoritate sanctorum Patrum, sicut vos ipsi bene nostis, nullius sunt momenti.

4. Decretum Gratiani (Recensio II^a), C. 11, q. 1, c. 21-25

21. [ex Tripartita, II, 10, 18]

Proprium gradum amittant clerici coniurantes uel conspirantes. — Item in Concilio Chalcedonensi [c. 18.]

Coniurationum et conspiracyonum crimen, quod apud Grecos dicitur fratria, publicis etiam legibus certum est penitus inhiberi. Hoc multo magis in sancta Dei ecclesia ne fiat conuenit abdicari. Si qui uero clerici seu monachi inuenti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut fratias uel factiones componentes aliquas suis episcopis aut aliis, omnimodo cadant de proprio gradu.

22. [ex Collectione III Librorum, II, 24, 14]

Clerici conspirantes proprio gradu amisso retrundantur in carcerem; ceteri excommunicantur. — Item Calixtus papa

Conspiracyonum crimina vestris in partibus vigere audivimus, et plebes contra episcopos suos conspirare nobis mandatum est; cuius criminis astutia, non solum inter Christianos abhominabilis est, sed etiam inter ethnicos, et ab exteris lege prohibita. Et idcirco huius criminis reos non solum ecclesiasticae, sed etiam seculi dampnant leges, et non solum conspirantes, sed etiam consentientes eis. Antecessores vero nostri cum plurima turba episcoporum, quicumque eorum in sacerdotali ordine sunt positi aut existunt clerici, honore, quo utuntur, carere preceperunt; ceteros vero communione privari et ab ecclesia extorres fieri iusserunt, <omnesque simul utriusque ordinis viros infames esse censuerunt> et non solum facientes, sed et eis consentientes.

23. [ex Collectione III Librorum, II, 24, 15]

Clerici aut monachi coniurantes proprio priuentur honore. — Item ex Concilio Chalcedonensi

Si qui clerici uel monachi reperti fuerint coniurantes aut conspirantes, aut insidias ponentes episcopis aut clericis, gradu proprio penitus abiiciantur.

24. [ex Burchardi Decreto, X, 69]

De eodem. — Item ex Concilio Tolletano.

Si clerici aut monachi inuenti fuerint conspirantes, aut per coniurationem calumpniam machinantes episcopis uel clericis, proprium amittant gradum.

25. [ex Tripartita, II, 43, 3 = Conc. Aurelianense III (538), c. 24(21)]

De eodem. — Item ex Concilio Aurelianensi

Si qui clericorum (ut nuper in multis locis per superbiam diabolo instigante actum fuisse perpetuit) rebeli auctoritate se in unum coniuratione intercedente collegerint, aut sacramenta inter se data, aut cartulam conscriptam fuisse patuerit, nullis excusationibus presumptio labetur; sed res detecta, cum in sinodum uentum fuerit, in presumptores iuxta personam et ordinum qualitatem a pontificibus, qui tunc in unum collecti fuerint, uindicetur [...].

5. **FREDERICUS I, *Hac edictali lege* (XI. 1158, Roncaglia) [= LF, 2, 53, 6]**

[Regesta Imperii, IV/2/2, n° 620 ; MGH, Const., I, n° 176, § 6, p. 246, l. 14-17 ; MGH, DD, 10/2, N° 241, p. 34, l. 1-4]

§ 6 Conventicula quoque et omnes et coniurationes in civitatibus et extra, etiam occasione parentele, et inter civitatem et civitatem et inter personam et personam seu inter civitatem et personam, omnibus modis fieri prohibemus et in preteritum factas cassamus, singulis conjuratorum pena unius libre auri percellendis.

6. **FREDERICUS I, *Pax Constantiae* (25.VI.1183), § 18 [MGH, DD, 10/4, n° 848, p. 73, l. 29]**

Item societatem quam nunc habent, tenere et quoties voluerint, renovare eis liceat.

7. **PAUCAPALEA, *Summa ad C. II, q. I, c. 21, Conjuratio* (éd. J. F. VON SCHULTE, Giessen, 1890, p. 78) :**

Conjuratio est multorum consensus in malum, ut ait Hieronymus in Isaïam*.

* = Gl. ord. ad Is., 8, 12, V^{is} *Ne dicatis* : « Conjuratio est consensus multorum in malum »

8. **RUFINUS, *Summa ad C. II, q. I, c. 21, Conjuratio* (éd. H. SINGER, Paderborn, 1902, p. 311) :**

Conjuratio est plurium contra aliquem in unum illicite facta juratio. Hec autem juratio sive conspiratio non tantum, si animi perversitate fiat, dampnatur, sed etiam si bono zelo contra dissipatorem episcopum vel prelatum ineatur, conjuratio est dicenda et penitus reprobanda ut infra cap. V.

9. **STEPHANUS TORNACENSIS, *Summa ad C. II, q. I, c. 21, Conjuratio* (Paris, Bibl. nat., lat. 14609, fol. 46rb-va [= P] ; Vaticano, BAV, Borgh. 287, fol. 60vb [= B] ; Archivo di San Pietro, G. 16bis, fol. 27vb)**

Id est conspiracyum jurejurando firmatarum^a vel pro eodem hic ponitur conjuratio et conspiratio. Id tamen intelligendum puto quando vel odio prelati vel studio discordie occulte conjurant in episcopum. Nam si viderint^b eum bona Ecclesie dilapidare et bono zelo dicti ei^c resistere voluerint, non inde sunt^d redarguendi. Attendant hec decreta qui contra prelatos conjurant quoniam caucius agerent si sine juramento^e eis resisterent^f.

a) firmatarum] confirmatarum P || b) vident S || c) ei] om. P || d) sunt] om. P || e) sacramento || f) resisterent] resistant B

10. **JOHANNES FAVENTINUS, *Summa ad C. II, q. I, c. 21, Conjuratio* (Saint-Omer, Bibl. mun., 493, fol. 90ra)**

Conjuratio est plurium contra aliquem vel aliquos in unum illicite facta juratio. Conspiratio non tantum fit cum juramento sed sine juramento, quia inito sacramento dicitur conjuratio. Hec autem conjuratio vel conspiratio non tantum si animi perversitate fiat, dampnatur, sed etiam si bono zelo, contra dispensatorem, episcopum vel prelatum, interveniente juramento vel scripto initiatur : conjuratio est dicenda et penitus reprobanda, ut infra, c. V. Si autem cum viderint clerici vel laici prelatum bona ecclesie dilapidare et bono et zelo et duncti resistere ei voluerint, si absque juramento vel scripto hoc egerint non sunt redarguendi. Accedant ergo decreta hec qui in prelatos conjurant quia canonice vel cautius sine juramento eis resisterent.

11. **App. « *Ordinaturus Magister* » ad C. II, q. I, c. 25, *Si qui clericorum, V° fuisse* (München, BSB, Clm 28175, fol. 140va)**

Argumentum quod ex quo presumptio inducitur probatio in contrarium non admittitur, ut hi et supra, Di. LIIII, Fratritatem [D. 54, c. 15] et infra, XXXII, q. I, Dixit dominus [C. 32, q. 1, c. 2]. Sed contrarium reperitur infra XXXV, q. III, Extraordinaria pollutio [C. 35, q. 3 c. 11]. W[ilhelmus Vasco].

12. ***Summa Lipsiensis ad C. II, q. I, c. 25, Si qui clericorum* (éd. R. WEIGAND, P. LANDAU, W. KOZUR, t. III, Città del Vaticano, 2014 (MIC, A/7/3), p. 11, l. 12-15- p. 12, l. 16)**

Et secundum hoc videtur quod non possunt clerici notari de conspiracyone qui jurant consulendo ecclesie, quod neminem recipient in canonicum, nisi aliquis mortuus fuerit. Nec tunc probatur quod non admittitur probatio in contrarium, ubi canon presumit; potest autem accipi secundum hoc presumptio pro temeritate.

13. **HUGUCCIO, *Summa ad C. II, q. I, c. 25, Si qui clericorum* (Paris, BnF, lat. 15396, fol. 163va ; Vaticano, Arch. di S. Pietro, C. 114, fol. 186vab ; Vaticano, BAV, Vat. lat. 2280, fol. 169va)**

Sed propria lectio est secundum mentem canonis quod patet ex eo quod sequitur in presumptores.

14. JOHANNES TEUTONICUS, *Gl. ord. ad C. II, q. I, c. 25, Si qui clericorum, V^{is} Aut sacramenta*
(*Decretum*, Romae, 1582, col. 1199)

Conjuraciones, quae fiunt super licita re, licitae sunt ad probandum malum et illicitum, ut 16, q. 7, Sane [C. 16, q. 7, c. 15], 1, q. 1, Concussionis [C. 1, q. 1, c. 128], 22, q. 1, c. 1. Sed super re illicita non tenent, ut hic. Quidam tamen dicunt quod omnis conjuratio, si est occulta, est illicita. Prohibentur ergo fraternitates, quae sunt ad malum, sic C., De monopoliiis, l. unica [C., 4, 59, 2(1)]. Sed bonae fraternitates admittuntur, 42 Dist., Si quis despicit [D. 42, c. 1].

15. Zeger Bernhard VAN ESPEN, *Scholia in canones Chalcedonenses ad c. 18* (*Commentarius in canones juris veteris ac novi et in jus novissimu*, t. III, Lovanii-Lugduni, 1778, p. 236)

Utinam nec hodie clerici et monachi unquam in optimos episcopos pro recta disciplina et sana doctrina sollicitos, factiosissimis conspirationibus colligarentur; ipsisque bellum atrocissimum indicerent; nec saepe populum contra suos pastores facta inter se conspiratione concitarent!

16. ACCURSIUS, *Glosa ordinaria ad LF, 2, 53, pr. Hac edictali, V^o Imperio*

Et ita videtur quod lex ista non habet locum, nisi inter illos qui ei subditi sunt. Sed nunquid tenet Francigenas et alios Ultramontanos, qui ei non sunt subditi? Videtur quod non ex eo quod hic dicit *nostro subjecti imperio*, etc. Sed dicas quod eos similiter sunt tamen ratione imperii Romani, sub quo esse debent, cum ipsi fuerint de imperio Justiniani, ut Cod., De officio praefecti praetorio Africae, l. ultima, I col. [C., 1, 27, 2]

17. JACOBUS DE BELVISIO, *Lectura ad LF, 2, 53, Hac edictali, pr.* (*Apparatus in usus et consuetudines feudorum*, Coloniae, 1563, fol. 169)

Quaeritur in glossa an liget Francos et alios Gallos qui non obediunt imperio? Respondeo quod sic de jure, licet de facto eam non servant, quia de Romano imperio esse debent, ut C., De officio praefecti praetorio, l. finali [C., 1, 27, 2] et facit in proemio ff. in principio.

18. MATTHAEUS DE AFFLICTIS, *Lectura ad LF, 2, 54(55), Hac edictali, pr., V^o In, n^o 1* (*Super III Feudorum libris commentaria*, Francofurti, 1598, p. 629)

Nota hanc glossam quod rex Francorum, rex Angliae et rex Hispaniae et alii ultramontani, non sunt sub imperio, licet aliter dicat glossa in l. In nomni Domini, C., De officio praefecto praetorio Africae [C., 1, 27, 2]. Sed illa glossa loquitur respectu initii. Sicut etiam rex Siciliae non est sub imperio et ipsum regnum est Ecclesiae, ut in c. Ad apostolicae, De sententia et re judicata, Lib. 6 [VI^o, 2, 14, 2]. Et notat Andre[as] supra in praeludium feudorum. Et sic etiam rex Aragonum, ut dicit Oldradus in suis conciliis, nec etiam Veneti dicit Bartolus in l. Hostes, ff., De captivis [D., 49, 15, 24].

19. ACCURSIUS, *Glosa ordinaria ad LF, 2, 53, 6, De pace juramento firmanda, Conventiculas, V^o Conjuraciones:*

Qualitercumque ergo fiant conjurationes prohibentur per legem istam et cassantur quod male hodie observatur immo totum contrarium faciunt civitates maxime Lombardie et per partes que sunt in civitatibus et compagine, ut ita loquar. Si alias prohibentur conjurationes negociatorum, scilicet ut spes diversorum corporum negotiationis uti minoris quam inter se statuerunt verum dentur, ut C., De monopoliiis, l. I [C., 4, 59, 2 (1)].

20. JACOBUS DE ARDIZONE, *Summa sive epitome juris feudorum* (Coloniae, 1569, fol. 222rv)

Item Lombardis permissum est societatem habere ad invicem et eam renovare, ut in titulo De pace Constantie, § Item societatem [*Pax Const.*, 18].

21. BARTOLUS, *Com. ad D., 47, 22, 2, De collegiis illicitis, l. Sodales, n^o 4* (*Commentaria*, t. VI, Venetiis, 1596, fol. 137ra)

Et ex istis colligitur quod civitates Tusciae quae non recognoscunt de facto in temporalibus superiorem possunt invicem similiter federari tanquam liberae. Sed plura castra vel villae qui essent sub una civitate vel uno domino hoc non possent ut dictum est.

22. BARTOLUS, *Tractatus «Qui sint rebelles», V^o Occulte* (*Consilia, quaestiones et tractatus*, Venetiis, 1596, p. 104)

Sed sciendum est quod tales colligationes civitatem invicem seu cum dominis prohibita sunt et ipso jure nullae, ut in Usibus feudorum, De pace juramento firmanda, c. 1, Conventicula [LF, 2, 53, 6]. Quo intelligo principe existente in partibus vel eo existente ad eorum defensionem, sed principe absente non puto prohibitas tales societates seu colligationes ad defendendum se ab oppressionibus tyrannorum vel malarum societatem quae saepe insurgunt in Italia ad depredandum alios. Fit enim ad justitiam servandam ergo debet valere, ut nota ff., Quod cujuscumque universitatis, l. 1 [D., 3, 4, 1], in principio, etc.

23. JACOBUS ALVAROTUS, *Lectura ad LF, 2, 53, 6, De pace juramento firmanda, Conventiculas* (*Lectura in usus feudorum*, Francofurti ad Moenum, 1570, fol. 311va)

Quinimo intelligas istum textum quod istae conjurationes ideo sunt reprobatae, quia tendunt ad malum, videlicet ad turbationem pacis, de qua tractat iste titulus, quia iste paragraphum adaptatur ad materiam de qua loquutus est impetator in praecedentibus, ut C., De imponenda lucrativis descriptione, l. 1 [C., 10, 36(35), 1] et l. Regula, § finali, ff., De juris et facti ignorantia [D., 22, 6, 9, 6]. Secus autem si tenderet ad bonum, quia tunc esset licitae, ut notat glossa 11, quaest. 1, Si quis clericorum [C. 11, q. 1, c. 25].

24. MATTHAEUS DE AFFLICTIS, *Lectura ad LF, 2, 54(55), Hac edictali, pr., V^o In, n^o 1* (*Super III Feudorum libris commentaria*, Francofurti, 1598, p. 646)

An autem rex christianus vel aliqua communitas non recognoscens superiorem possit facere ligam et confoederationem cum Turcis sine licentia papae? Concludit quod sic, ad defensionem regni maxime, si aliter se tueri non potest contra inimicum, ut ff., Ad legem Aquiliam, l. Scientiam, § Qui cum aliter [D., 9, 2, 45, 4] et in hanc sententiam inclinatur post multas auctoritates Oldradus in consiliis suis, Consilio 51 incipit *Nunquid Christianus*.

25. ANDREAS DE ISERNIA, *Lectura ad LF, 2, 53, 6, De pace juramento firmanda, Conventiculas* (Francofurti, 1598, p. 614)

Conjurationes quae fiunt super re licita licite sunt, 16, quaest. 7, Sane [C. 16, q. 7, c. 17]. De quaestione dic 11, q. 1, Si qui clericum [C. 11, q. 1, c. 25] in glossa. Unde si aliquis rationabiliter timeret oppressionem inimici sui adjuvat consanguineos et amicos, qui jurant esse simul ad propulsandam injuriam si fieri sibi ab aliquo. Possum enim me defendere et amici mei etiam, per ea quae dicta sunt § Injuria [LF, 2, 53, 2] et De pace tenenda et ejus violatoribus, Si quis hominem [LF, 2, 27, 1]. [...] Si quidem dejectus esset quis posset querere amicos ad recuperandum possessionem, ff., De vi et vi armata, l. 3, § Eum [D., 43, 16, 3, 9] in glossa. Ergo multo magis posset invocare ad juvandum, ut non deiciatur, quia melius est ante tempus occurrere, quam post vulneratam causam remedium quaerere vel post exitum vindicare

26. JACOBUS DE ARDIZONE, *Summa sive epitome juris feudorum* (Coloniae, 1569, fol. 221v)

Fallit in tenuioribus, qui ad stipem menstruam conferendam conveniunt, dum tamen semel in mense coeant vel in his qui conveniunt religionis causa, dummodo non illicite sub praetextu religioni [...] Item permittitur his, quorum interest convenire, ne permittant possessores vel colonos pratorum gratia qualibet importunitate militum vexari, ut C., De pascuis publicis, l. ultima [C., 11, 61(60), 3]

27. BARTOLUS, *Com. ad D., 47, 22, 2, De collegiis illicitis, l. Sodales, n^o 4* (*Commentaria*, t. VI, Venetiis, 1596, fol. 136vb)

Unde collegia disciplinatorum et collegia misericordiae et collegia juventium appressos et similia sunt approbata de jure communi. [...] Item est approbatum de jure civili collegium doctorum et scholarium [...]. Item approbata sunt de jure communi collegia plurium facientium unam artem in una civitate vel loco [...].

28. JACOBUS DE ARDIZONE, *Summa sive epitome juris feudorum* (Coloniae, 1569, fol. 221v)

Item in omnibus qui perpetrant homicidium vel furtum et volunt convenire in unum vel componant delictum (ut in Lombarda, De homicidiis liberorum hominum [Lomb., 1, 9, 1], l. 1, In Lombarda, De furtis, l. Si plures [Lomb., 1, 25, 11])